

**C.A.P.E.S.**  
**CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

*Dès l'enfance, parents, compagnons de jeu et pédagogues doivent concourir à la formation intellectuelle du futur orateur.*

In parentibus vero quam plurimum esse eruditionis optaverim. Nec de patribus tantum loquor : nam Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistulis traditus, et Laelia C. filia(1) reddidisse in loquendo paternam elegantiam dicitur, et Hortensiae Q. filiae(2) oratio apud triumviros habita legitur non tantum in sexus honorem. Nec tamen ii quibus discere ipsis non contigit minorem curam docendi liberos habeant, sed sint propter hoc ipsum ad cetera magis diligentes.

De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus idem quod de nutricibus dictum sit. De paedagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. Nihil est peius iis qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi falsam sibi scientiae persuasionem induerunt. Nam et cedere praeciendi partibus indignantur et velut iure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim saevientes stultitiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus, si quidem Leonides Alexandri paedagogus, ut a Babylonio Diogene(3) traditur, quibusdam eum vitiis inuit quae robustum quoque et iam maximum regem ab ilia institutione puerili sunt persecuta.

Si cui multa videor exigere, cogitet oratorem institui, rem arduam etiam cum ei formando nihil defuerit, praeterea plura ac difficiliora superesse : nam et studio perpetuo et praestantissimis praeceptoribus et plurimis disciplinis opus est. Quapropter praecienda sunt optima : quae si quis gravabitur, non rationi defuerint sed homini.

(1) Laelia était la fille de Caius Laelius, surnommé « le Sage », le consul de 140 avant J.-C., qui

(2) jouissait de la réputation d'homme éloquent et savant.

(3) Hortensia était la fille d'Hortensius, le collègue et ami de Cicéron. Elle prononça un discours s'opposant à l'institution d'une taxe spéciale sur les matronae.

Diogène de Babylone, philosophe grec venu à Rome en 156 avant J.-C..